nullo contempnitur. et tales animorum molestias nedum
vincat, sed non sentit. Alia autem graviora ut dolor cor-
poris, carorum amicorum amissio et patrie calamitas
patenter sentit quidem sapiens nec enim lapidis illi
duriciam vel ferri in eo asserimus. Nec est aliqua
virtus que se perpeti non sentiat. Sed habet sapiens quo
huiusmodi affectiones comprimat. pulcerrimam virtutum
omnium et animi sanitatem, magnanimitatem qua huius-
modi iniurias aut non notat, aut risu dignas
putat, omnesque homines inferiores iudicat quam
ut audere habeant tam celsa despicere. Contume-
lia a contemptu dicta est. Nemo enim nisi quem contempnit
notat alicui tali iniuria. quare non inferiorem contume-
liis moveris quia contempnere non potest. Nemo enim
maiorem melioremque contempnere potest. Nam et ini-
apiorum morum contumeliosa nos delectat urba-
nitas. Pueros et quidam ob hoc mercantur procaces
et instruunt ut omnium in medium probra effun-
dant. Quanta autem dementia est hiisdem modo de-
lectari modo turbari, et ab amico dictum vocare ma-
ledictum quod a servulo ioculare convicium. Quem animum
erga pueros habemus, hunc habet sapiens erga omnes

Unde dictum contumelia

License: public_domain – Göttingen, Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen, Cod. Ms. Morbio 1 a, Fol. 7v – Anthology of excerpts from L. Annaei Seneca and other theological texts (https://fragmentarium.ms/view/page/F-za50/11341/82149)